



Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Disp. CXXXIV. An Dei reuelatione communicari possit viatori notitia
quidditatiua huius mysterij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

riorum solum esse potest circa questionem, *An est*, fides enim est aut assensu cogitare, ut ait Augustinus libro primo de prædestinatione Sanctorum ca. 2. assensus autem mysteriorum, in via solum est circa questionem, *An est*, non circa ipsum quod quid est, cuius nullam adhuc notitiam habemus: nomina enim Dei ostendunt nobis in via ipsum, *An est*: non ipsum, *Quid est*, ut disp. 57. c. 2. notauimus. Cæterum Spiritum Dei in multis Raymundum habuisse, indicant scripta eius de Philosophia amoris, de amico, & amato, & magnarum contemplationum, aliaque multa: potuit tamen in aliquibus non ex Dei Spiritu, sed ex proprio cerebro aliqua depromere, quæ licet Catholica essent, & vera, durius tamen, quam par erat, ab eo dicerentur, & explicarentur.

DISPUTATIO CXXXIV.

An Deireuelatione communicari possit viatori notitia quiditativa huius mysterij.

Status questionis. cap. 1.

Quid sentiant Scotus, & Nominales. cap. 2.

Vera sententia Durandis & Capreoli. cap. 3.

CAPUT I.

Status questionis.

CONTRouersia præcens non est, an homini possit communicari notitia quiditativa, & propria Dei; sed an manenti in statu viatoris hæc possit communicari: viatoris autem nomine intelligimus, non hominem in carne mortali, sed nondum videntem Deum ea clara, & intuitiva notitia, qua creatura rationalis beata constituitur. Itaque difficultas est, an media aliqua visio possit intellectui creato communicari, quæ nec sit clara & intuitiva, ut animam beæ, nec sit per alias species, sicut illa, quam habemus ex creaturis deductam, sed quiditativa quidem, & propria ipsius, nondum preueniens ad rationem intuitiuam, quæ ob id abstractiuam dicamus. Dicitur enim quædam notitia abstractiua, etiam si propria, & quiditativa sit; quædam autem intuitiua, ut explicat Gabriel in prima questione prologi art. secundo notatione 2. abstractiua quidem, quæ abstrahit rem ab esse, & existentia: sicut cum aliquis cognoscit rosam non existentem propria specie & conceptu. Cum enim hæc cognitio non terminetur ad rem existentem, sed ad eam secundum se, dicitur ab Scholasticis notitia abstractiua. Illa vero quæ non solum est propria rei, sed fertur in illam ut existentem, dicitur intuitiua. Alio modo Scotus definiuit utramque in secundo distinctione 3. questione 9. quæ incipit: *Secundo quero*. §. *Ad questionem igitur*, inquit enim, notitiam abstractiuam illam esse, quæ non tantum fertur in rem abstractiuam ab esse, sed etiam à præsentia: itaque licet intellectus proprio conceptu intelligat rem, etiam ut existentem, si tamen non feratur in illam, ut præsentem, non dicitur illam intueri. Sicut astrologus, qui cognoscit euidenter eclipsim in alio hemisphærio, dicitur habere solum abstractiuam notitiam: contra vero, qui non solum cognoscit rem existentem, sed etiam præsentem, dicitur intuitiuam illius habere notitiam. Mihi tamen, quamuis hæc controuersia de voce videatur, magis probatur sententia Gabrielis, ut intuitiua notitia dicatur

Quæ sit abstractiua notitia Dei, quæ intuitiua.

ea, quæ fertur in rem cum sua existentia in propria differentia temporis: & ita scientiam futurorum, cum habetur per propriam speciem, esse appellandam intuitiuam: quia fertur proprio conceptu in rem cum propria existentia pro sua differentia temporis: hoc enim postulat cognitio intuitiua, ut feratur in res existentes, prout ipse sunt aut futuræ sunt: non autem alio modo.

Hæc nunc dixisse sufficiat, ut sententias Doctorum intelligamus: nam capit. 3. nostram explicantes, propriam differentiam intuitiuam, & abstractiuam notitiæ subiiciemus.

CAPUT II.

Quid sentiant Scotus & Nominales.

SCOTUS loco allegato & in 4. dicitur 49. quæst. 11. in ea est sententia, ut affirmet, non solum homini viatori peculiari lumine illustrato posse Deo concedi notitiam Trinitatis euidentem, & propriam abstractiuam, quæ ad intuitiuam non pertingat, verum etiam Angelum virtute propria ea habere potuisse per speciem à Deo infusam, quam quodammodo super naturalem, quodammodo naturalem appellat; naturalem quidem quia est ad eliciendum actum ordinis naturalis; supernaturalem vero, quia est à Deo libere infusa, & non necessario, nec ab obiecto naturali derivata. Ita explicat in ea quæst. §. *Ad rationem primam opinionem* ad quartum argumentum, & in §. *Ad questionem*, consentit Maior in secundum d. 3. q. 5. conc. 5. & q. 3. prologi, idem affirmat Balfus q. 1. prologi art. 2. §. *sed quicquid*. & §. *explicatio*. Petrus Alliatus in primum qu. 1. prologi art. 3. & 4. sed hi quatuor solum asserunt, huiusmodi notitiam, quam dicunt posse communicari, esse solum supernaturalem: addit vero Gabr. veritatem Theologicarum contingentiam, ut mysterij incarnationis, dari non posse in hac vita euidentem illam notitiam: bene tamen earum veritatum quæ necessariæ sunt, ut mysterij Trinitatis, eorum, quæ ipsum consequuntur.

Primum igitur, nempe dari posse notitiam illam abstractiuam mysterij Trinitatis probatur: quia abstractiua notitia prior est suapte natura, quam intuitiua: prius autem potest esse sine posteriori. Deinde, Deus potest quacumque notitiam intuitiuam conferuare in absentia obiecti: ergo potest efficere, ut quæ erat intuitiua, sit abstractiua, sicut ex definitione utriusque colligitur. Hanc vero notitiam posse esse naturalem, per speciem naturalem, eo modo, quem diximus, non probat Scotus, sed solum id asserit: nec vi deo qua ratione probari possit. Alterum, quod addit Gabriel, sic ipse probat: quia notitia abstractiua veritatum Theologicarum necessarium non supponit notitiam intuitiuam ipsius Dei, sed solum notitiam creaturarum, hanc autem habere potest homo: ergo & notitia abstractiua ipsius Dei ei communicari potest. At vero notitia abstractiua veritatum Theologicarum necessarium non supponit notitiam intuitiuam ipsius Dei, sed solum notitiam creaturarum, hanc autem habere potest homo, ergo & notitia abstractiua ipsius Dei ei communicari potest. At vero notitia abstractiua veritatum Theologicarum contingentium supponit intuitiuam ipsius Dei, ergo illæ hac non potest abstractiua illa communicari, ut

vero, quæ Gabriel in his duabus rationibus affirmat, nulla ratione amplius confirmat.

Verum antequam à priori monstremus non posse concedi alicui abstractiuam notitiam Dei, quæ non sit eodem modo intuitiua, sicut est visio Beatorum, nunc obiter sententiam prædictam paucis refellamus. Et primum quidem in Scoti doctrinam illud displicet, quod asserit talem notitiam naturali virtute intellectus elici posse: cum enim illa vere non distinguatur à visione clara Dei quæ beatur homines, & hæc elici non possit nisi lumine, & auxilio supernaturali: consequitur nec illam virtute naturali elici, nec speciem naturalem ad eam elicendam dari posse. Nec refert quod Scotus speciem illam vocat supernaturalem illam enim sic appellat, non quia secundum se supernaturalis ordinis sit, sed quia à Deo voluntarie omnino infunditur: nec alia via acquiri potest. Quod si suapte natura supernaturalis esset, sicut est lumen gloriæ, fieret plane, vt intellectus non posset naturaliter illam notitiam habere, sicut nec habet visionem: hæc enim duo secum pugnant: & speciem esse supernaturalem ordinis suapte natura, illaque intellectum ad notitiam abstractiuam indigere; & prædictam notitiam naturaliter haberi posse.

Deinde contra Gabrielem probatur communicari posse notitiam abstractiuam veritatis Theologicarum contingentium, vt mysterij incarnationis, si necessarium communicari potest, quia non videtur necessaria notitia intuitiua Dei, vt communicetur abstractiua horum mysteriorum: nam si quis essentiam Dei in tribus personis quiditatur, & proprio conceptu cognoscit, cur non poterit quiditatur etiam, & proprio conceptu mysterij incarnationis humanitatis in verbo intelligere? Vt enim intelligat hoc mysterium quiditatur, non videtur maior notitia extremorum necessaria, quam quiditatur, & propria: cognita etiam virtute omnipotentis Dei quiditatur, cur etiam resurrectio mortuorum non poterit eodem modo cognosci?

CAPVT III.

Versa sententia Durandi, & Capreoli.

Mhi semper probabilior visa est sententia Durandi in quest. 3. prologi, & Capreoli in d. 3. q. 2. art. 3. in responsione ad 2. contra sextam conclusionem, asserentium non posse quiditatur propriam notitiā Trinitatis viatoribus communicari, sed aut notitiam huius mysterij debere esse per species alienas, qualem omnem habemus in via, aut claram, quam vocant intuitiua, in qua sita est nostra beatitudo: id quod hac ratione probatur. Si quis haberet propriam, & quiditatur notitiam Dei, nihil ei deesset, quo minus diceretur Deum intueri: habet enim in primis omnis notitia intuitiua, quod sit propria, & quiditatur ipsius Dei, non per species alienas, & insit aliarum rerum. Si vero intuitiua, vt dicit Gabriel, addit supra hoc, esse rei existentis, vt vt primo c. notauimus; illa notitia Trinitatis esset intuitiua: ferretur enim ad Deum, prout existentem; quia non minus de essentia Dei est existere, quam esse sapientem: & sicut nullus potest proprio conceptu intelligere Deum, nisi etiam intelligat sapientem, sic etiam, nisi intelligat existen-

tem. Hac ratione contra Gabrielem probatum manet, non posse dari notitiam propriam Dei; quæ sit abstractiua, hoc est, ipsius Dei, vt abstracti ab existentia. Quod si intuitiua non solum debet esse propria, & rei existentis, sed etiam præsentis, vt voluit Scotus, esset nihilominus notitia illa intuitiua: quia non minus necessario Deus est præsens omnibus rebus, & intellectui creato, quam existens in rebus natura: si ergo intellectus haberet propriam illius notitiam, ferretur in illum, vt existentem, & præsentem, ipsumque propriissime intueri diceretur. Et hæc ratio contra Scotum etiam vim habet.

Secundo, si posset Deus esse absens loco, nihilominus intellectio illa, & notitia esset intuitiua, & beatitudo nostra, esset enim Dei existentis, secundum propriam rationem illius, quod satis videtur vt notitia intuitiua dicatur, aut saltem vt habentes eam faciat beatos. Quod enim obiectum ipsum cuius contemplatione beatur, si absens loco, vel tempore futurum, vel præsens, nihil variat in visione, ergo parum interest, absentia seu præsentia, vt cognitio propria Dei sit, aut non sit beatitudo nostra: veluti si astrologi beatitudo esset propria visio ecclipsis, etiam si ecclipsis fieret in alio hemisphærio, si ipse per propriam illius speciem eam quiditatur cognosceret, beatus esset, imo etiam si ecclipsis esset futura, eodem modo esset intuitiua cognitio illis & astrologum bearet.

Tertio, si posset quis habere notitiam propriam & quiditatur Trinitatis abstractæ ab existentia, esset nihilominus talis visio sufficiens beare illi. Nam quamuis non cognosceret Trinitatem, vt existentiam, satis videtur, in ipsam quiditatur contemplaretur, eiusque infinitam, sicut ipsa est, cognosceret. Sicut si beatitudo consisteret in contemplatione rei creatæ, non minus illa bearet, si esset quiditatur, etiam si abstraheret obiectum ab existentia, quam si non abstraheret, quacunque igitur via, & ratione constet, non esse mediam illam cognitionem quiditatur inter intuitiuam, qua beatur, & quam habemus per alienas species quare ego non dubitarem illam appellare intuitiuam, quæ est propria, & quiditatur rei, etiam si non sit existentis, aut præsentis, tamen si vocum potius dissensio sit, quam rerum.

CAPVT IV.

Solutio Rationum prioris sententia.

Hinc iam eadem sunt argumenta prioris sententia. Primum enim supponunt, notitiam illam quiditatur priorem esse intuitiuam, qua beatur, quæ reuera prior non est; cum enim ab ea non distinguatur, non potest esse prior: eam vero ab intuitiua non distingui, cap. præcedenti satis probatum manet. Quare aduersarij comminiscuntur in secunda ratione, potuisse Deum in Paulo, & Moysè notitiam abstractiuam conferuare, destructa intuitiua, si eam in via habuerunt. Cæterum licet posset seruari notitia aliqua, quæ non repræsentaret Deum, vt præsentem, nec, vt existentem, sed, vt ab existentia abstractum; si tamen ea esset quiditatur & propria, recte sequitur, illos mansuros beatos, vt prædictum est. Reliqua, quæ docet Gabriel, nulla ratione probat, & satis à nobis cap. 2. impugnata sunt.